



Casparus natus est Etlingæ honestis parenti-
 bus. Is cum felici ingenio esset præditus, Fri-
 burgi Magister creatus 1518, sese ad academiam Ba-
 siliensem contulit, atq; in studijs humanitatis pluri-
 mùm profecit. Inde animum ad Theologiam con-
 uertit, & suprema in eadem Doctorum priuilegia
 impetrauit. Hoc modo cum pergeret, anno circiter
 20 Moguntiam uocatur, & Ecclesiastes constituït.
 Cum autem Euangelij doctrinam amaret & intelli-
 geret, Moguntia relicta Argentinã peruenit, & ob
 multifariam eruditionem docendî munus obiuit,
 anno 2529, quo tempore primùm in eo loco mutata
 fuerat religio. Erat Casparus sedato ingenio, & ad
 instituendos homines ualde idoneo. Itaq; statim eodem anno Marpürgum
 cum Bucero missus, quò actioni interesset, quæ ibidem propter Lutherũ &
 Zuuinglium in re sacramentaria instituta erat. Postea Argentinam rediens ma-
 gna diligentia Christum prædicauit, & inter Ecclesiæ ministros in cathedrali
 templo præcipuus fuit. Cum etiam Hermannus Coloniensis præsul Ecclesia-
 rum suæ ditionis reformationem cogitaret, hunc Casparum 1543 cum Bucero
 ad se uocauit, ubi etiam aliquandiu docuit, & tandem domum redijt. Inter a-
 lia studia præcipuè historiam amauit, & in ea se plurimùm exercuit. Vnde scri-
 psit historicam synopsis, qua M. Antoni Cocci Sabellici institutũ persequit,
 ab anno Domini 1504, usq; ad 1538 annum. Idem in Abbate Urspergensis, & Eu-
 sebij Ecclesiastica præstitit, præter multa alia Germanicè ab eo uersa. Cũ hoc
 modo Hedio omnibus gratus per 23 annos docuisset, & inter primos cū Ma-
 theo Zellio eam Ecclesiam cõstituisset, 17 Octob. anno 1552 obiit, & apud mul-
 tos sui desiderium reliquit. De eo Martinus Crusius uir doctissimus tale Epi-
 gramma scripsit, atq; pro sua humanitate, cum meum institutum intellexisset,
 ad me Tubinga Basileam transmisit.